ORIGINEM. SY

A

RESTAVRATA. P

ECCLESIA. J

EX NEHEM. I

REPETIT

SISTIT.

VIRIS. CLARISSIMI

DOCTISSIM

ADAMO. BENEDIC

LANGENRENS

AVGVSTO. TRAV

JOANNI. GOTT

GOTTLOB. POLY

DRESDENS

HONORES. IN. PHILOS

D. IX. CAL. MART. c

RITE. COLL

JVSSV

SOCIETATI

PRAESIDE. AC. M

VIRO. SVMME.

JOAN. CHRISTIANO

S. S. THEOL. D. SACR. LING. PROF. ORD

DE.

L. L. SYMBOL.

GRATVLAT

JO. GOTTHARD.

REINSBERG

SYMBOLORVM.

A

TA. POST. EXILIVM.

IA. JVDAICA.

HEM. IX. VLT.

PETITAM.

SISTIT.

SIMIS. NOBILISSIMIS.

SSIMISQVE.

EDICTO. SPIZNERO.

RENSDORF. MISN.

RAVG. FRITSCHIO.

TTLIEB. THENIO.

LYC. KOEHLAVIO.

DENSIBVS.

ILOSOPHIA. SVMMOS.

RT. cIↃ IↃ CCXXXXIII.

C. COLLATOS.

JVSSV.

TATIS. QVAE

AC. MODERATORE.

MME. REVERENDO.

ANO. HEBENSTREIT.

ROF. ORD. ET THEOL. PROF. EXTRAORD.

DE.

BOL. DISPVTAT.

TVLATVRVS.

RD. WINCKLERVS.

SBERGA. MISN.

1365

43

+3

e

VIRI CLARISSIMI.



NEc per hanc inſtituti rationem, nec per nimis anguſtum paginarum ſpatium licet, prolixiori in iis exponendis cauſis uti præfamine, quibus nos inducti, hunc diem, quo VOBIS ſummi in Philoſophia honores jure meritoque decernuntur, hac qualicunque ſcriptione, ſolemnem feſtumque reddere apud animum conſtituerimus. Ne autem nihil plane dixiſſe videar, VOS IPSI judicate, potueramusne VESTRA in litteras promerita, tum elegantiores, quod attinet, quas VOBIS in deliciis eſſe, tum ſanctiores, quarum VOS ſtudioſiſſimos novimus; indefeſſam in ſcientiis magis magisque excolendis induſtriam; modeſtam, circa examinandas defendendasque veritates divinas ἀκρίβειαν, hoc inprimis die diſſimulare, quo VOS, ipſe ſapientiſſimorum virorum conſeſſus dignos judicavit, quibus, quod honorum præſtantiſſimum habet, larga conferret manu. Et hæ fere ſunt cauſæ, cur noſtra ſocietas, cui VESTRA ſingularis eruditio ac doctrina inſignem hactenus florem, florentiſſimumque ſplendorem conciliavit, ad laudes tantis virtutibus dignas quodammodo celebrandas, animique dexterrimum in VOS affectum demonſtrandum, me quidem mentium interpretem decreverit. Quam provinciam tam honorificam, in me indignum omnino delatam, cum a me diclinare, nec ob poſtulantium auctoritatem, commode potuerim, nec per VESTRI ſtudium, quod in me ſummum eſſe profiteor, ſine impietatis ſuſpicione voluerim: cœpi de argumento cogitare, quod & ſtudiorum, quibus VOS inprimis delectamini, generi reſponderet, & a ſocietatis noſtræ inſtituto haud multum abeſſet; quippe quæ id ſibi in primis datum eſſe, cenſet, ut Theologiam, quæ audit, *Symbolicam*, quæſtionibus diluendam conſtituit. Diu multumque circumſpicienti, ultro mihi ſeſe offert quæſtio: unde & quam alte origo Symbolorum ſit re-

petenda? offendo, arripio, dispono, dispositam VESTRA si fieri poterit pace, exponam; non, ut VOS docere videar, vel eruditionem VESTRAM, mea, si qua est, longe superiorem adaugere; sed ut VOS æquos sententiæ qualiscunque arbitros experiar.

Quo primum tempore vox Symboli veteribus tesseram significans, qua milites, sub uno duce militantes ab hostibus discernerentur, ad sacra translata sit, non valde curamus; satis cum constet, a doctoribus ecclesiæ ejusdemque scriptoribus, ante Concilium Nicænum usu nequaquam esse receptam, ut Jo. Bened. Carpzovio observatum fuit, in Isagoge ad L. L. Symb. eccles. Luther. p. 2. modo in præsentia, quæ sub Symbolorum nomine venit, rem teneamus. Quod si ergo per Symbola librosque Symbolicos, ejusmodi scripta intelligantur, quæ ab ecclesia aliqua ita recepta sunt, ut per ea, & doctrinam in illis comprehensam, a reliquis cœtibus & ecclesiis, quibuscum ceteroquin consentire videri poterat, discerni velit ac separari; eorum originem longe altius ascendere deprehendetur, quam ut cum quibusdam *) ex papatu demum aut cum aliis ab ætate Apostolorum **) repetenda sit. Antiquorum Symbolorum antiquissima, quæ ætatem tulerunt, habentur Antiochenum, cujus natales in concilio Antiocheno anno CCLXX. celebrato exstitisse constat; Gregorii Thavmaturgi sec. III. quod circa doctrinam, ex inspiratione divina, ille accepisse fertur, ad cujusque fidem tum Ariani veteres, tum eorum successores hodierni, Socinianos intelligo, suspectam reddendam omnem lapidem monere; qua de re videri potest Gregr. Nyssenus & Steph. Sandius de veter. Scriptor. Eccles. nec non Symbolum Irenæi æque ac Tertulliani, & nonnulla forte alia. Fallunt tamen & falluntur, qui Symbolo Apostolico longe majorem ætatem & auctoritatem adscribunt, propte-

*) *Ad quam classem pertinet omne genus συμβολομάχων, Fanaticorum, Quackerorum & Pseudo-Politicorum, qui Symbola & jus jurandum in ea præstandum, tale enim frenum ægre ferunt, tamquam immanem animorum tyrannidem, ex papatu residuam, sugillanda sibi sumunt; quorumque causam magni quondam nominis, in vicina, academia Politicus, quacunque oblata occasione in scriptis suis perorat.*

**) *Puta Syncretistas & Pontificios, quos inter eminet Ambrosius Ruffinus Isiodorus in Exposit. Symbol. Apostol.*

propterea quod illud paulo ante dispersionem Apostolorum, ab ipsis instar tesseræ, cognoscendorum doctrinæ Apostolicæ dogmatum, conditum esse, putant.

Verum enim vero, hæc fabula a viris eruditissimis, inprimis autem a Centuriatoribus Magdeburg. Cent. I. lib. II. p. 66, dudum explosa est, & satis superque evictum, illud non uno eodemque, sed per diversa temporis intervalla, cœptum confectumque fuisse, neque monumenta, quæ de eo exhiberi solent, quintum seculum superare. Sed sufficiat recitasse hactenus, quæ pro antiquissimis vulgo habentur, Symbola, quibus nullum detur antiquius; hanc enim opinionem fovet & quibusdam argumentis confirmat b. Buddeus, contra eos, qui originem Symbolorum in ipsis sacrarum litterarum monumentis reperisse sibi videntur, in Isagoge ad univers. Theol. Part. I. Lib. II. cap. II. de Theol. Symb. §. II. p. 396. Qui Symbolorum vestigia, inquit, in Sacra Scriptura se invenisse, sibi persuadent, ad veram & genuinam vocis significationem non satis attendisse videntur. Ego tam insolentis & temerariæ arrogantiæ non sum, qui in sententia tanti viri, cujus memoriam, mihi tam sanctam esse profiteor, quam quod sanctissimum, aut carpam quid, aut taxem; interim liceat tantisper, modeste tamen de eo dubitare, quod Vir immortalis memoriæ tanta cum fiducia asseruit.

Vestigia Symbolorum circa Apostolorum ætatem iamiam obtinuisse, Act. c. XV, 19. 20. seqq. vero haud dissimile videtur. Etenim si consessum Apostolorum, ad quem ipsi cum presbyteris eum in finem convenisse l. c. legimus, ut de quæstione dubia & controversa: num circumcisio sit retinenda nec ne, sententias conferrent, Concilii primi nomine insignire vulgo non dubitatur; qui fit, ut Apostolorum decretum, circa eandem rem, normæ instar, ad sanctiorem cœtum perscriptum, Symbolum appellare dubitemus? cum tamen, ubi ubi habitæ sunt Synodi, ibi & plerumque Symbola fuisse condita, experientia comprobet. Nec desunt, l. c. quæ Symbolum constituunt partes; adest controversia, v. 3. quæ sub examen, secundum Scripturæ & fidei analogiam instituendum, revocatur; adsunt orthodoxi adsunt heterodoxi v. 1. adest veræ & falsæ sententiæ declaratio: scribitur, hoc in epistola, ut sit credendi vivendique norma, eademque normata conf. v. 15. propheticis oraculis respondens, & proin accedit tandem singularis quædam auctoritas v, 23. subscriptis Apo-

ſtolorum nominibus huic Symbolo comparata, quæ frenum ſecus docentibus injicere poſſet. Qua in re, quod a vera & genuina ſignificatione vocis Symboli abhorreat, vix quicquam apparet. Aſt natales Symbolorum ab hoc demum primi Concilii tempore repetendos eſſe, nec altius; tantum abeſt, ut credam ut potius eorum veſtigia, in reſtaurata poſt exilium eccleſia Judaica, Neh. IX. ult. v. reperire mihi videar. Statum eccleſiæ Judaicæ ejusdemque veræ, tunc temporis procul dubio miſerrimum fuiſſe, non inficiabitur, cui triſtiſſima reipublicæ Judaicæ conditio ex Sacrarum Scripturarum monumentis paulo accuratius innotuit. Tam craſſa enim legum divinarum ignorantia plerorumque mentes occupaverat, qua craſſior nec dici facile, nec cogitari poterat; ad hanc accedebat impuriſſima ritibusque gentilium, inter quos hucusque degerant, hinc inde conſpurcata doctrina, ut vix pauca eademque exigua priſtinæ purioris veſtigia conſpicerentur, ex quo virulentiſſimo fonte, profligatiſſimos gentis Judaicæ mores non potuiſſe non profluere, quilibet facile conjiciet. Tantis malis mederi eo difficilius videbatur, quo minus plerique ex captivitate Babylonica reducum ſacra monumenta aut legere aut ſine Interprete *) intelligere poterant; quippe qui una cum moribus, patrium ſermonem in peregrinum converterant. conf. c. XIII, 24. coll. c. VIII, 8. Quare de ratione huic morbo depellendo apta Nehemiæ ceterisque eccleſiæ Judaicæ præſulibus cogitandum erat; ſiquidem intelligebant, omne conſilium de emendandis moribus civium ſuorum irritum futurum; niſi ante omnia doctrinæ integritatem reſtituerent profundæque ignorantiæ caliginem diſpellerent. **) Ne autem, quam de felici hujus rei eventu conceperant, ſpes ſeſe fruſtraret, convocabant populum, ſtirpem Iſraeliticam ab alienigenis ſeparabant, corruptam doctrinam, ex Moſis & Prophetarum ſcriptis

emen-

*) *Ab hac corruptione linguæ originem traxerunt* תורגמנין *ſive* מתורגמנין *Hebræis* מליצים *vel* מבינים *dicti. Eorum autem officium in eo conſiſtebat, ut in lectionibus Thoræ Sabbathicis, ſingulos Paraſchæ verſiculos a lectore hebræo in ſynagoga recitatos, lingua Chaldæa repeterent, atque linguæ ſanctæ, cujus uſus in exilio perierat, interpretes agerent ad populum in vernacula Chaldæa plur. vid. in Buxtorff. Lex. Chal. Rabb. Talmud. ſub rad.* תרג *p.* 2643

**) *Hujus autem deplorati mali cauſam; hanc ab Antiquitate Judaica accepimus commemoratam, quia nobilior ſanguis ſeu flos reipublicæ in Babylonia remanebat, fæx autem illius ac ſentina cum*

emendabant, fœdus cum Deo restaurabant, illudque in peculiari quodam libello conscriptum & a principibus Levitis Sacerdotibusque subscriptum & obsignatione munitum, tanquam doctrinæ & perennem morum regulam posteritati tradebant. Quod quæso ovum ovo unquam similius potuit existere, quam hoc Nehemiæ & populi Israelitici fœdus cum Deo restauratum, nostræ ecclesiæ Symbolis? re ipsa nimirum perpensa non nomine. Sive enim Symbolorum naturam spectemus, sive certas quasdam circumstantias, utrumque huc apprime convenire, nostræque favere sententiæ intelligitur. Eorum autem naturam ita comparatam esse, novimus, ut inprimis instar confessionis publicæ sint; vi cujus, ut supra observatum fuit, ecclesia vera a falsa, illiusque genuina doctrina ab erronea, & de hæresi suspecta cognosci discernique possit. Quare etiam tunc demum recte, aut de ecclesia aliqua, aut ejus doctrina judicatur, si non ex privatorum doctorum sententia, sed ex libris consensu totius ecclesiæ conscriptis æstimatur. Illud autem idem in Symbolum hoc Nehemianum cadere, de quo nunc sermo est, nullum relinquitur dubium. Enim vero tempore Nehemiæ vera ecclesia a falsa quam maxime erat secernenda. At excipi posset, nondum Samaritanorum sectam, nec aliam quampiam purioris doctrinæ turbasse fontes, adeoque opus non fuisse, falsam doctrinam a vera, ecclesiam hæreticam ab orthodoxa distinguere? Nimirum, si nondum integræ sectæ ab ὑποτυπώσει ὑγιαινόντων λόγων recesserant, qualis erat illa Samaritanorum, *) erant tamen non pauci, qui de matrimonio contrahendo, quod enim cum alienigenis contrahebant, pro licito a plerisque habebatur, porro de Sabbatho celebrando, decimis primitiis & sacrificiis offerendis, atque

Esdra in Palæstinam redibat; unde illud Rabbinorum tritissimum: כל הארצות עיסה לא״י וא״י עיסה לבבל : *i. e. omnes terræ sunt ut massa mixta, comparata cum terra Israelitica; & terra Israelitica est, ut massa mixta, cumparata cum Babylonia. conf. Jo. Lightfooti in Hor. Hebr. append. 1. Cor. XIV. cap. II. p. 265. edit. Lips. Et Buxtorf. Lex. Talm. v.* עסס *p. 1657.*

*) *Alias satis notæ sunt tres illæ hæresium classes, Pharisæorum nempe, Sadducæorum & Essæorum, de quorum natalibus varii varias fovent sententias. Sunt qui Pharisæorum originem ab ipso Esdra repetunt; conf. Scaliger. in Elench. tribærs. c. 22. Sunt etiam qui harum trium hæresium incunabula in ætate Maccabæorum, haud improbabiliter ponunt. vid. Joseph. Antiq. Lib. XIII. c. 9. p. 629. it. Lackemacheri Observ. Philol. p. 3.*

atque adeo de præcipuis legis ceremonialis momentis nec rite sentiebant nec recte docebant, conf. c. X, 29. 30. seqq. Cum autem constet, leges ceremoniales Theologiæ V. T. potiorem constituisse partem; eorum errores non parvi censendos fuisse, qui in rem tam arduam impingebant, in aprico est. Ergo aderat ecclesia, variis erroribus contaminata. Qua propter ne hic cryptogentilismus virulentas suas radices altius ageret, prospiciendum erat iis, quibus auctoritas legum Mosaicarum veræque religionis integritas curæ cordique erat; cui officio, ut satisfacerent, hoc Symbolum condebant; quo puriori cœtui addicti, ab iis secerni eo facilius possent, qui moribus ethnicis assuefacti, semijudæi verius, quam Judæi appellandi erant. Sed erunt forte, quibus hæc pactio magis ad corrigendam vitæ rationem, quam doctrinæ emendationem respexisse videatur, quippe matrimonium cum alienigenis non ineundum, Sabbathi observationem, primitiarum, decimarum & sacrificiorum oblationem, non tam ad doctrinæ puritatem, quam ad vitæ praxin spectare; Symbolorum autem naturam esse, ut inprimis circa fidei dogmata occupetur. At vero fac, morum inprimis corrigendorum gratia, hoc Nehemiæ pactum sanciri; quid? poterantne effluvia restingui prius, eorum fons quam obstrueretur? scilicet frustra corriguntur mores, nisi doctrinæ emendatio antecesserit. Accedit, non quævis Symbola tantum doctrinam, sed etiam quam maxime morum probitatem respicere; hæc duo enim tam arcte conjuncta sunt, ut quid quam arctius vix possit. Nec Symbola nostræ ecclesiæ solum circa doctrinæ integritatem sed etiam vitæ Sanctitatem versantur; quod e VII. istis Articulis de Abusibus in Aug. Conf. & Catechismo Majore Lutheri, omnia fere omnium officia continente, satis elucescit.

Alterum, quod fœdus illud cum nostris Symbolis commune habet, in eo consistit, quod ex communi ecclesiæ Judaicæ consensu percutiebatur. Concurrebant enim ad illud perficiendum, omnes tres, qui alias constituunt ecclesiam, status hierarchici, magistratus nimirum. Cap. X. 1. ordo ecclesiasticus, v. 9. æque ac domesticus v. 28. Talis enim doctrinæ norma & morum regula requirebatur, quæ auctoritate publica conscriberetur obsignareturque, ut si quis vellet, non posset tamen, aut quid in ea mutare, aut contra eam excipere, nisi communem orthodoxæ ecclesiæ sententiam corrigere, & audaciæ quicquam adversus eam moliri vellet videri. Sane & hoc momentum Symbola nostris commode respondet, & utrius-

que

que haud exiguam paritatem refert. Illud enim Nehemianum tota eccleſia orthodoxa conſentiente pangebatur; noſtra Symbola nihilo minus ſuffragiis repurgatæ eccleſiæ perficiebantur. Ibi nomina principum & ſacerdotum ſubſcribebantur; hic non ſecius: ad illud non ſolum coævi, ſed & poſteri obſtringebantur; Cap. X, 28 etiam noſtra perennem poſteritati exhibent regulam. Præter hæc, quæ commemoravimus, convenientiæ momenta, notatu dignum occurrit jusjurandum, quo omnes & ſinguli, præcipue tamen proceres reipublicæ & ſacrorum antiſtites, hi enim non absque cauſa, eccleſia repræſentativa audiunt, ſeſe obſtringere ſolent: velle ſe Symbola eccleſiæ in qua vivunt, pro norma credendi & vivendi accipere, a qua recedere nefas habeatur. Antiquiſſimum hunc eſſe morem, non negabit, qui ex hiſtoria primæ eccleſiæ didicerit, catechumenis, antequam ſacro lavarentur fonte, in Symbolum Apoſtolicum, publice recitatum jurandum fuiſſe. Etiam hanc circumſtantiam, quamvis eam de eſſentia Symboli haud quaquam eſſe, lubenti animo largior, in Nehemianum illud Symbolum optime quadrare, ex ipſo ſacrarum paginarum teſtimonio diſcimus: quippe omnes reipublicæ Judaicæ cives erant באים באלה ובשבועה venientes, ut ſanctiſſimum præſtarent jusjurandum. Nec populi Iſraelitici unquam ſolemnius exſtitit, quam quod tunc dixerunt ſacramentum, *) immo ipſis illis quæ Deut. XXIX, 11. Ezech. XVII, 13. deſcribuntur, ſolemnius. Neutro enim loco, nec ullo alio, voces אלה & שבועה in ſignificatione hac tam arcte conjunctæ in ſacris litteris reperiuntur, quam in hoc Nehemiano, id quod, quanta hujus juramenti fuerit ſolemnitas, indicio eſt; Nec multum a vero abeſſe videtur, totum populum & voce clara & ſubſcriptis nominibus hoc ſacramentum celebraſſe. Siccine ergo quodlibet populi Iſraelitici fœdus cum Deo quocunque tempore ictum, Symbolum appellandum erit? ſiccine tot tandem habebimus Symbola, quot numerantur religioſiora pacta in ſacris litteris obvia; inprimis autem Hiskiæ 2. Reg. XVIII. coll. II. Paral. XXIX. & Joſiæ 2. Reg. XXIII. coll. 2. Paral. XXXIII. ſeqq. pactiones ſymbolorum nomine inſigniendæ erunt? ſiquidem eæ & ſolemniores erant, & circa reſtaurandum eccleſiæ ſtatum,

**) Equidem hæ voces etiam conjunguntur. Num. V, 21. bis & Dan. IX, 11. ſed utroque execrationem divinam eandemque itidem vehementiſſimam indicat.*

quem perditissimum tunc fuisse scimus, versabantur. Ita sane, si quodlibet pactum cum Deo sancitum habendum pro symbolo esset, & non potius illud tantum, in quo omnes partes constituentes, reperiuntur. Quod si ergo præter hoc Nehemianum, aliud forte in codice sacro inveniatur, in quod, quæ requiruntur, quadrent, symbolum erit, sin minus non erit; Atque hoc est, cum in neutro locorum paulo ante allegatorum reperiri Symbolum liceat. Etenim, quamvis id, quod per impietatem superiorum regum, in fœdere ruptum erat, ab Hiskia & Josia l. c. restauraretur, tamen nec scribebatur nec obsignabatur quicquam, nec sacramentum dicebatur, nec ut norma seu publica ecclesiæ confessio posteritati tradebatur. Pari etiam ratione judicandum est de iis, qui incunabula Symbolorum a Sethi statim ætate Gen. IV, 26. vel a Noachi epocha Gen. IX, 25. 26. repetenda esse, autumant & quos Cel. Budd. in Isagoge p. 396. non solum allegat, sed & refurat laudandus sane nisi ideo refutare videretur, ut inde conficeret, frustra Symbolorum vestigia in scriptura sacra quæri. Sed salva res est; Symbola in adductis locis plane nulla esse, largior, in nostro autem loco dari Symbolum proprie tale, ideo probabile esse, non desinit. Sed ad demonstrandam paritatem, quam inter Nehemianum illud & nostra Symbola, intercedere supra dixi, ulterius accedit nec parum confert, quod ad Symbola porro requiritur, ut secundum analogiam fidei & unicam sacrorum monumentorum normam condita sint. Si enim ea doctrinæ & morum perpetua, indubitata & falli nescia regula esse debeant, necesse est, ut normæ normanti, i. e. sacræ scripturæ exacte respondeant. En rationem cur nostra symbola norma normata audiant. Nehemianum Symbolum haud fuisse normam normantem sed normatam i. e. secundum legem Mosaicam factam, facillimum probatu videtur. Namque in symbolo Nehemiæ præter alios etiam hunc articulum expressis legimus verbis v. 29. quemlibet Judæorum ex lege divina victurum omniaque Jehovæ præcepta, jura, placita servaturum atque obiturum esse. Quis ergo non videt, satis luculenter hanc ecclesiæ Judaicæ reformationem, ab ipsa lege divina distingui? usque adeo apparet, Nehemiæ symbolum a Mosis & prophetarum scriptis non aliter differre, quam normatum a norma & principiatum a suo principio. At hoc pactum, inquis, totidem verbis in ipso Nehemiæ libro

Cap. X.

Cap. X. legitur, cujus auctor, quicquid scripsit, φερόμενος ὑπὸ τῦ πνέυματος ἁγίυ scripsit; adeoque hoc etiam Symbolum ex θεοπνευςία immediata profectum, potius ut norma normans quam normata, considerandum est. Enim vero tantum abest, ut Symbolum ipsum totidem verbis conceptum Cap. X. contineatur, ut potius præcipua ejusdemque capita, quasi in compendio l. c. exhibeantur. Nec multum a vero discrepare videtur, Nehemiam Symbolum suum, sermone Chaldæo conscripsisse, in hoc enim multo exercitatiores fuisse Judæos, quam in Hebræo, quem vix & ne vix quidem sine interprete intelligebant, ex supra monitis manifestum est. Quod si ergo Chaldaice scriptum fuit Symbolum, ponamus illud tantisper, non potest non idem hoc esse, quod Cap. X. recensitum legimus: stat ergo sententia: Symbolum Nehemiæ ex mediata θεοπνευςία profectum, normam normatam fuisse,*) adeoque & quoad hanc circumstantiam cum nostris Symbolis belle conspirare. Restat adhuc ultimum comparationis momentum, paucis indicandum, nimirum auctorum utriusque & temporum conditio. Ex diuturna & gravissima servitute, quam sub potestate regum Babylonicorum perpessi fuerant, in libertatem vindicati, gentis Judaicæ primores de Symbolis cogitare cœperunt, eum in finem, ut si forsan salus reipublicæ denuo periclitaretur, ecclesia tamen haud quicquam detrimenti caperet. Experti enim jam satis erant, quanto cum ecclesiæ periculo, anceps reipublicæ salus sit conjuncta. Pari ratione majores nostri e Pontificis Romani tyrannide emancipati inprimis Symbolis quibusdam ecclesiam ab innumeris erroribus repurgatam, tanquam validissimo quodam vallo diligentissime præmuniebant, ne in eandem miseriam olim reciderent, ex qua tantis laboribus tantisque vigiliis per admirabilem summi numinis gentia nunc restituti erant. Quod si ergo omnia paritatis argumenta, tum quæ essentialia tum quæ accidentia, mente repetamus & paulo penitius spectemus, Symbolorum vestigta jam jam in V. T. inveniri, quamvis vox Symboli nondum innotuerit, cur dubitemus, nihil esse videtur.

*) *Multæ enim res primis auctoribus divinitus non inspiratæ, sed illorum arbitrio ortæ, ab historicis tam sacris* θεοπνέυςοις & θεοπνευςῶς *sunt scriptæ.*

Hæc fere erant, quæ VES
RISSIMI, quod ſubactiſſimu
rium rerum perſpicaciſſimum in
tenda rebar. Videtis IPSI quan
tatem ſit Symbolorum origo,
quam Nehemias vir θεόπνευςος
plo comprobavit. Cognoſcitis,
Symbola ut inventum mere hun
latrant, & quod in ea præſtare
abominandam mentium tyranni
etiam quantas laudes eorum con
diurnaque indnſtria in hoc ſanc
ſunt. VOS tales eſſe, qui præter
diſcenda excolendaque Symbol
tum PRÆSES noſtræ ſocietates S
nos omnes & ſinguli, ſumma
mur. Accipitis ergo nunc jure
tantæ pietatis, dexteritatis & dili
nobis ſimul hoc qualecunque am
JESVS vero O. M. cujus VO
cujuscunque hoſtis impetum fort
VESTRIS conatibus impoſterum
STRVM καλὸς ςρατιώτης ſumm
nue in Chriſtianorum caſtris,
portet. Sic eccleſia habebit, qui
eruditus, de quibus optime ſper
de quibus valde lætentur;
nova meritorum præm
animo gr



VESTRO judicio, VIRI CLA-
tissimum non modo, sed & complu-
num in VOBIS esse scio, commit-
I quam veneranda, ob tantam antiqui-
origo, quanta eorum sit auctoritas,
ιενσος ipsis conciliavit, suoque exem-
oscitis, quanta sit eorum impietas, qui
ere humanum, plus quam hostiliter al-
æstare fas est jusjurandum tanquam
yrannidem accusant. Sed intelligitis
m conatus mereantur, qui diurna no-
c sanctiorum studiorum genere assidui
præter ætatis nostræ indolem, in ad-
ymbolorum doctrina, indefessi sitis,
tates SVMME VENERABILIS tum
umma cum animi propensione testa-
c jure ac merito, VIRI EXIMII,
& diligentiæ præmia; accipitis & a
que amoris monumentum & pignus.
is VOS Symbolis gerendis & contra
um fortiter defendendis, adsuescitis, ita
osterum propitius adsit, ut quilibet VE-
summi istius imperatoris, futurus, stre-
dris, pugnet plenamque victoriam re-
t, qui Symbolis bene consulant, orbis
ne speret; Parentes, si qua superstites,
tur; nos autem, quibus indies
n præmia VOBIS futura ex
mo gratulemur.

 